

adsp. Klub. p. 26.

1793, 2
459

15

VERO ET ORIGINARIO FVNDA-
MENTO OBLIGATIONIS RV-
STICORVM; AD OPERAS
ET CENSVM PRAESTANDVM
COMMENTATIO.

QVAM
CONSENTIENTE

ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE

AD

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

DIE XXIV. AVGVSTI MDCCCLXXXIII.

RITE OBTINENDOS,

ERUDITORVM DISQVISITIONI

OFFERT

HENRICVS ADOLPHVS LEHZen
HANNOVERANVS.

GOTTINGAE,

TYPIS H. M. GRAPE, TYPOGR. ACAD.

AERIO ET ORIGENARIO LINNÆI
MINTO ORIGENALIS B
SCHOLARVM AD OITHARS
ET CENSVM PRÆSTANDEM
COMIMENTATIO

DE

TESTIMONIO

AVOCATI BARBARUS

ET CESSARII

ET CESSARII

ET CESSARII

II. CIRCE

litione maricilis eiusdem et
ad hunc officium maricilis et
electores eiusdem ibi munitione et

CONSPECTUS.

SECTIO I.

De statu rusticorum pristino.

1) Rustici notio	- - - - -	§. 1.
2) De contractu inter dominum & rusticum	- - - - -	§. 2.
3) De servitute germanica	- - - - -	§. 3.
4) De rusticis non liberis	- - - - -	
a) servorum tractatio	- - - - -	§. 4.
b) de vita veterum rusticana	- - - - -	§. 5.
c) ac servorum desiderio	- - - - -	§. 6.
d) rusticorum origo	- - - - -	§. 7.
e) de manumissis	- - - - -	§. 8.
5) De rusticis ab initio liberis	- - - - -	§. 9.

SECTIO

SECTIO II.

De statu rusticorum hodierno.

1) Causae status rusticorum mutati	§. 10.
2) Rusticorum diversae classes	§. 11.
3) Operarum divisiones generales	§. 12.
a) Utrum rustici in dubio ad determinatas, vel ad indeterminatas operas obligentur	§. 13.
b) Cuinam in dubio operaे fint praestandaе	§. 14.
4) Censuum diversae species	§. 15.
5) Dubium removetur	§. 16.

O.
I.
2.
e-
3.
4.
5.
6.

S E C T. I.

D E

STATV RVSTICORVM PRISTINO.

§. 1.

1) *Rustici notio.*

Rustici, sicut in ceteris terris, ita etiam in Germania, maximam subditorum complectuntur partem. Distinguuntur a reliquis civibus tum per habitationem, quin rure semper vivant, tum per principalia negotiorum obiecta, ad quae prae ceteris incumbunt, quaeque consistunt in agricultura, & re pecuaria, sive rustica, quanta est. Quo in infinitum quidem, sed utilissimam transferuntur membrorum reipublicae classem. Negotiorum cognitio, exercitatioque minimam quidem animi virium postulat intentionem ac exiguum temporis sumtuumque impendium; sed tanto maiorem diligentiam, & praeterea patientiam ferream, torporique simillimam, ad tolerandum adspectum tot hominum, quos fortuna arridet, qui de fructibus laboris eorum laute & abundantanter vivunt. Haec nobis sufficiunt, rusticum sensu communi & vulgari defi-

A

nituris;

nituris; sed in sensu iuris germanici stricto, nec habitatio, nec negotia, nec vestitus ac mores, certum nobis exhibent rusticorum signum; nam si rusticum ita definiamus, ut sit, qui ruri vivit, ruraque colit a); servus etiam rusticus, nobilis rure degens, conductor, clericus, multique alii in numerum rusticorum recensendi essent. Omnia sedulo investigantibus, solam praedii seu agri rusticorum possessionem, rusticum facere facile apparebit; unde rectius rusticus dicitur is, qui tale praedium possidet, nulla habita personae ratione. Praedium rusticum autem est praedium, quod ad rem rusticam & pecuariam accommodatum, ac tributis publicis, oneribusque agrestibus obnoxium est; quae onera in operis & censu consistunt b); & huius obligationis, ad operas & censem praestandum, verum & originarium fundamentum investigare & definire, dissertationis est finis.

§. 2.

2) De contractu inter dominum & rusticum.

Census & opera, quae a rustico praestandas sunt, a nonnullis doctoribus c) inter servitudes in faciendo consistentes referuntur, sed perperam. Sunt in Germania & servitudes in faciendo consistentes;

nam

- a) Ut e. e. WOLFG. FRID. SHRÖDTER, de notione rusticorum in Germania. Gött. 1743.
- b) ILL. J. F. RUNDE, Grundsätze des allgemeinen teutschen Privat-Rechts (Gött. 1791.) §. 482.
- c) GOTTL. GERH. TITIUS de servitute faciendi. (Lipf. 1710. In Vol. Dissert. p. 508. sqq.) §. 42. — J. H. C. DE SELCHOW, Elementa iuris germanici. §. 452. (edit. 6.)

nam Germanus axioma romanum, quod „praedium nihil facere possit” d),
 hanc ob causam inaneum existimat subtilitatem, quia praedii possessor id
 facere potest, quod haec servitutum species requirit e). Continet re-
 strictionem libertatis naturalis in favorem tertii, & semper cum iure
 cogendi est coniuncta. Quod bannum vocatur, ac hoc respectu, eius-
 modi servitudes iura bannaria nominantur. Ad hanc servitutum speciem
 praeferunt pertinent, bannum cerevisiarium (Bierzwang), molendinum
 bannarium (Zwangsmühle), furni bannarii (Zwangbackofen) &c. mini-
 me autem obligatio rusticorum ad operas & censum praefundum; quae
 sententia non solum prava, sed etiam iuribus domini valde fuit pericu-
 losa; quam haec operarum ac census praestatio, neutiquam ex liber-
 tatis naturalis restrictione, sed, ut facile ex huius obligationis funda-
 mento patebit, ex contractu bilateralis, *do ut des, vel facias, orta sit.*
 Germani, qui simplicitatem naturalem plerumque secuti sunt, deside-
 rare non poterant, ut census a rusticis praefundus, in pecunia numerata,
 quippe quae apud illos rarer erat, solveretur. Inquit *Tacitus de mori-
 bus Geruanorum c. 23.* „*Proximi rheno, formas quasdam agnoscunt
 nostre pecuniae, atque eligunt; interius, simplicius, permutatione mer-
 cium utuntur.*” Et medio aevo adhuc numinorum usum parum fre-
 quentem fuisse, docet LUDEWIG f). Praesertim in terris Brunsvigo-

Lune*

d) L. 15. §. 1. D. de servitudibus.

e) EPHR. GERHARD, de servitudibus in faciendo consistentibus. (Jenae
 1710.) GOTTL. TITIUS l. c.

f) In Einleitung zum teutschen Münzwesen c. 3. 6.

Luneburgicis olim moris fuit, ut famulis, certa agri aut frumenti portio, vel pecora, loco mercedis darentur. Id vero, quum fraudibus ansam daret, a legislatoribus interdictum est in Recessu Provinc. Guelpherbyt. de 1619. §. 34., & Ordinatione Politica Cellensi c. 45. §. 3. 4. 5. Hoc autem, quod rarior olim esset pecunia, saepissime operae loco mercedis cum aliis rebus compensarentur, idque aequale cum numerata pecunia haberet pretium, non impedit, quo minus contractus quaestioneeris, sit contractus innominatus, ideoque nullo fundamento eorum opinio mihi videtur nisi, qui hanc conventionem, locationem conductionem existimant. Locationem conductionem mercedem certam & definitam requiri, notum est g). Quod si concederem, per praestationes census naturalis, valorem praedii, culturae causa concessi, aliquantum accurate posse definiri: ab his tamen concludi nequit ad operas a rusticis praestandas; nam simulac opera loco pecuniae veniunt in contractum, innominatus inde oritur contractus, secundum Leg. 1. §. 9. depositi vel contra.

§. 3.

3) *De servitute germanica.*

Rustici nostri, ratione status personalis, in duas dividuntur classes; 1) in liberos, qui plena personali fruuntur libertate, & solum propter praedia oneribus nonnullis sunt subiecti; 2) eosque, qui non solum ob praedium quod possident, sed etiam virtute dominii in personam

corum

g) L. 46. D. Locati conducti, L. 22. in f. eod.

eorum competētis, ad officia implenda obligati sunt; qui in hac personali servitute constituti, homines proprii (Eigene, Eigenbehoerige, Halseigene, Leibeigene) nominantur; quorum adeo conditio amissio praedio non tollitur. Reliqui autem rustici, licet ob praedia, quaeposſident, eidem ad operas & censum praefundum obligationi obnoxii sunt; personali tamen libertate utuntur, eorumque obligationes cesso praedio exſtinguuntur h). Sicuti vero horum libertas ex statu colonorum liberorum, qui apud romanos occurunt, non est diuidicanda i); ita rustici non liberi servis romanis aegre aequiparantur; quippe qui vere iuribus civium in republica fruuntur. Quae quidem inter rusticos liberos & homines proprios differentia, ex antiquissimis temporibus in Germania locum habuit; ideoque eorum opinio, qui originariam rusticorum nostrorum conditionem omnino servilem fuisse contendunt k), aut

A 3 hanc

b) Cf. Glossa ad J. P. S. B. 3. Art. 42. §. 5. "Es folget nichts, dass alle Diener eigen seyn? dies loes also. Etliche Dienstbarkeit lieget auf eim Manne also, das er dienen muss, und diese sind eigen. Etlicher Leut Dienstbarkeit aber liegt allein auf ihrem Gut, also wer dasselbige Gut hat, muss davon dienen. Darumb ist ein Unterschied zu halten zwischen eigenen und dienstmannen" (Editio Chr. Zobel, (Lips. 1682) fol. 374)

i) Cf. Dav. MEVIUS Abhandl. von dem Zustande, Absforderung und verwidernten Abfolge der Bauersleute &c. (Wism. 1689) pag. 3 sqq. — Joh. DENEKENS, Neu vermehrtes Dorf- und Landrecht, p. 1. C. 4. — Dr. L. F. GABKE, Dorf- und Bauernrecht, 4ter Abs. Ites Cap. §. 75.

k) J. G. ESTOR, de praesumtione contra rusticos, in causis operarum, harum-

hanc differentiam ex fontibus iuris romani deducere contantur, tamquam veritati minime congrua, recte reiicienda est. Hominibus nostris propriis, parum similitudinis est cum servis romanorum; servi apud romanos pro membris civitatis non habebantur; fecus in illis, quippe qui pro mediatis, sicuti liberi russici pro immediatis eius membris habentur. Ego vero, et si nullos olim servos in sensu iuris romani in Germania suisse adseverare nolim: minime tamen in eorum sententiam discedere possum, qui infinita horum millia Germaniam habitasse adstruunt. Tacitus, ad cuius testimonium vulgo illi provocant, qui contrariam sententiam adornare student, duplicitis generis servos in Germania suisse aut 1).

- 1) qui alea victi, spontaneam servitutem extremo ac novissimo iactu de libertate & de corpore contendentes, adirent;
- 2) ceteros servos, quibus tamen non in romanum morem, descriptis per familiam ministeriis, uterentur.

Ad primam ergo servorum classem, quos alea servituti addixerat, quod attinet, hos quidem teste ipso Tacito m) „per commercia tradiderunt victores, ut se quoque pudore victoriae exsolverent“; nempe quia indignum esse putarent, hominem liberum, tristis servitii iugo, in patio solo, quod liberum procreatrum educaverat, versari.

His

harumque redēmōtō. Jen. 1742 — Joach. Jac. REINECCIUS, de rustico quondam servo. Jen. 1745. — L. F. GABCKE, Dorf- und Bauernrecht. 4ter Absch. Ites Cap.

- 1) de moribus germanorum. e. 24.
- m) ibidem c. 24 in fine

?

His ergo servis aut nunquam frequentata est Germania, aut certe rarissime n). Frequentior autem ea, Germanis propria servorum erat species, de quibus ita Tacitus o). „Ceteris servis non in nostrum motorem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris aut vestis, ut colono iniungit, & servus hactenus paret. Cetera domestica officia, uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum, ac vinculis & opere coercere rarum. Occidere solent non disciplina, & se „veritate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune.” Verum enim vero, quod in toto Taciti libello observandum est, illud ad hunc etiam pertinet locum; eum scilicet semper mores Germanorum cum romanis contendere, & observare, si quam dissimilitudinem inter utrosque deprehendat; quum aliud ergo nomen non occurreret, hos homines, quorum describit conditionem, servos nominat Tacitus; idem tamen ostendit, hoc ipsis elogium, si romana inspicias, non competere; hinc ergo addit „ut colono”, eosque per hoc romanis opponit servis.

§. 4.

4) *De rusticis non liberis;*

a) *servorum traditio.*

Tota germanorum gens, ex liberis & ingenuis constabat vi-
ris; sed auctae sensim necessitates efficiebant, ut nosfrates & ad do-
mestica officia, & ad agri curationem, aequi cupidi servorum fierent,

n) G. C. GEBAUER, de alea & fidei Gott, 1741. JUN. 4. 180. 018

o) I. c. cap. 25. *εστι ενιμη στοιχειον οιοντα ταυτικον*

ac romani; attamen laudem iis affert humana ipsorum tractatio. Levis olim erat inter dominum & servum, respectu vitae, differentia. Ipsi captivis plerumque durior non instabat sors, & si inhumane modus, quo romani germanum in simili casu frequenter tractabant, ad similem saevitam eos irritare potuisset. Romani ad gladiatorum sortem eos detrucebant, ut effuso sanguine otiosae plebis animos oblescent. Inde ad luctas cum feris eos cogebant, inde aliis iisque crudelissimi cruciatibus afficiebant.

Vetusissimis quidem temporibus servi rarissime manumittebantur; postea vero maior iis erat spes, fore, ut a servitatis iugo liberarentur; nam sicut res suas pro redēctione animae suae, ecclesiae donandi mos paullatim obtinuit p): ita ex eadem causa, ac in eundem finem, servi quoque manumitti coepit sunt. Soli monachi aliter sentiebant, non convenire dicentes, servos suos libertate frui, quum sibi met ipsis omnis libertatis adipiscendae spes esset ademta; ac ne libertatem iis tribuere audenter Abbates; apud nonnulla Concilia decretum impe-

p) Quod cuique permisum erat. Cf. Lex Alamannorum (apud GEORGISCHE in Corp. Juris antiq. German. Halae Magdeb. 1738. pag. 195) Tit. I. "De liberis, qui res suas ad ecclesiam tradunt". — Lex Baiuvariorum (GEORGISCHE I. c. pag. 255). Tit. I. cap. I. "Si quis liber homo voluerit & dederit res suas ad ecclesiam, pro redēctione animae suae, licentiam habeat &c." — Capitularia regum Francorum (GEORGISCHE I. c. pag. 838.) Capitulare primum anni 819. cap. 6. "Ut omnis liber homo potestatem habeat, ubicunque voluerit, res suas dare pro salute animae suae".

impetrabant, vi cuius iis hoc expresse interdicebatur q). Tantum ergo aberat ut in libertatem eos vindicarent, ut potius quoscunque servos, quos ullo modo acquirere poterant, in honorem Dei dono acciperent r). Manumissioni saepissime conditio iniungebatur, v. c. ut libertus quotannis in domini sepulcro lumen adcenderet &c. s).

§. 5.

b) de vita veterum rusticana.

Quum germani urbes olim non haberent: nulla alia, quam rusticana vita frui potuerunt; quam tamen incundissimam sibi reddere studebant, in primis alendis multis bestiis, praeter eas, quibus ad oeconomiam necessario indigebant, quales sunt, tetraones, cervi, ursi, capreæ, accipitres, ciconiae, ardeæ t) &c. Vitam & commodiorem si bi facere incipiebant, separatasque habitationes exstruxerunt, quum maiores

q) Phil. Labbel, Collectio Conciliorum. Tom. IV. C. 1392. Can. 56.

r) Lex Baiuvariorum (GEORGISCH I. c. pag. 255.) Tit. I. c. I.
Quidquid donaverit, terram, mancipia, pro redemptione animae sua, hoc per epistolam confirmet".

s) De diversis manumissionum modis Cf. Marculfi monachi formularum Libri VI. (Paris. 1665) Lib. 2. form. 32 & 33. pag. 92-94, & notae THEOD. BIGNONII ad Lib. 2. form. 32 & 33. pag. 326 - 328.
— JOACH. POTGIESSER de statu servorum. (Lemg. 1736) Lib. IV.

t) Lex Alamannorum (GEORGISCH I. c. pag. 238.) Tit. 99. — In hoc quidem titulo agitur de eo, qui talia animalia furaverit aut occiderit.

iores cum pecore sub uno tecto dormirent. Habebant securias, grāmias, cellarias u), stubas, quas sequenti tempore caminatas, a verbo camino, nominabant, & salas, ubi conventiones habebantur, conviviae agebantur. Singula haec acdicia sepe cincta erant, qui acdiciariorum complexus, curtis, & additis agris, pratis & silvis, villa appellabatur. Plures villae marcham constituebant, carumque possessores, commarchani nominabantur; plures marchae, pagum. Quae curtes villaueque, prima fuerunt fundamenta villarum, oppidulorum ac partim urbium nostrarum.

§. 6.

c) ac servorum desiderio.

Magna agrorum copia, possessores cupidos hominum fecit, qui rura colerent; accessit praeiudicata totius gentis opinio, ingenuum non nisi ad arma natum esse; adeo, ut agricultura in Legibus opus nominaretur servile x), quod nomen a populo, agro colendo tantum dedito, aegre expectaveris. Nemine vero sua sponte huic labori sese offerente, sola vis supererat, qua pars hominum libertate privata est, quo commodius ceteri vivere possent. Ac huic consilio nihil magis prosperum videbatur, quam bellum, quo omnes, qui victori in ma-

nus

u) Lex Alamannoram (GEORGISCHEM. I. c. pag. 231.) Tit. 81.

x) Lex Baiuvariorum (apud GEORGISCHEM. I. c. pag. 281. 282.) Tit. 6, cap. 2. Hic opus servile nominatur „cum carro ambulare, sepem clautere, foenum secare, messem secare vel colligere.” Poenae in hoc capite definiuntur, si quis liber homo die dominico talem operam fecerit.

aus inciderunt, nec redimere sese ad iubitum victoris potuerunt, in servitutem protrahebantur. Praeterea ad hunc finem obtainendum, utabantur talium hominum quaestu, in Germania adeo vulgato, ut causam hominum rapiendorum praebiceret; cui, ut caveretur, lex lata est, ne servus extra patriam venderetur y), quod alias saepissime fiebat z). Saepius paupertas & aes alienum in causa erant, cur liberi, amissa libertate, alii corpora traderent; sic & per coniugium ingenui cum ancilla, vel ingenuae cum servo, libertas amittebatur a).

§. 7.

a) rusticorum origo

His, quoquaque modo acquisitis mancipiis propriis, dominus agrum quendam colendum adsignavit, quem sub obligatione ad certas ope-

ras

y) Lex Alamanorum (GEORGISCH I. c. p. 212.) Tit. 37. §. 1. „Mancipia foris provincia nemo vendat, nec in paganos, nec in Christianos, nisi iusso ducis fuerit.“ §. 6. „Si autem fecerit, & inde convictus fuerit, post conventum nostrum, quod placuit cunctis Alamannis, & aliquis hoc praeceptum transgredere voluerit, illud pretium, quod tulit, de proprio suo mancípio, perdat, & ius super fredum componat.“

z) PAULUS WARNEFRIDUS, de gestis Longobardorum (annex. Historiae Gothorum, Vandalorum & Longobardorum ab Hugone Grotio. Amstelod. 1655. pag. 743.) „Ab hoc populoſa Germania, ſaepē innumerabiles captivorum turmae abductae, meridianis populis pretio diſtrahuntur.“

a) Capitularia regum Francorum (GEORGISCH I. c. pag. 848.) Capitulare tertium anni 819. cap. 3. „Si ingenuus ancillam alienam in

B 2

coniu-

ras vel censum naturalem praeflenda, colebant. Ceterum separata iis erat oeconomia, habitatioque, & matrimonio iungere iis permisum; nisi quod liberi rursus potestati domini erant obnoxii, ipsique cum fundo vendi poterant. Dominorum fundorum vero intererat, ut augeretur proprietorum hominum numerus, quibus ad agros colendos, promovendaque sua comoda uti possent; eique nihil adeo faustum erat, quam praeiudicata omnium opinio, qua non liberi ab armis gerendis arcebantur, ut homines proprii domi quiete viventes propagarentur, dum domini in bellis certantes, perniciem sibi minarentur. Ingens inde servorum multitudo, quam in mediis aevi documentis inventimus. Hoc vero rectissime sese habet, quo cultiores ac politiores evaderent ingenui Germaniae incolae, eo duriorem proprietorum hominum conditionem redditam esse. Veteres quidem a servis certam frumenti, vestis &c. portionem, vel pecora postulaverunt; sed non nisi necessitates tunc spectabant. Postea autem his non contenti, multos sibi reservabant agros, prata, vineasque, quos agros dominicos, seu indominicatos nominabant; qui omnes labore servorum colebantur. Servis qui in dominio ecclesiae erant, tres in hunc finem dies per singulas hebdomades, quibus operas praefestarent, destinatae erant. b) Quo tempore

coniugium acciperet, ipse cum ea in servitio implicitur. — Si ingenua quilibet servum in coniugium sumpserit, cum servo in servitio permaneat.

b) Lex Baiuvariorum (GEORGISCHEM. L. C. p. 263. in fine) Tit. I. c. 14. §. 6. Opera tres dies in hebdomada in dominico operetur, tres vero sibi faciat.

tempore vero frumenta fererentur & meterentur, pluribus adhuc incommodis rusticis erant obnoxii, quum non solum partem fecalis seminalis domino suo exhibere, sed etiam fere quotidie pro domino arare, seminare, metere, & invehere frumenta deberent e). Quod si praeterea boves a domino acciperet, ad indeterminatas operas pro labore domini praestaudas, obligatus erat; nam ita lex: „Si vero dominus ei dederit „boves, tantum serviat, quantum ei per possibilitatem impositum fuerit” d). Ceterorum servorum quum nulla in legibus mentio occurrat, solummodo ex arbitrio ac humanitate dominorum tractati esse vindicentur. Quum pecuniae usus apud veteres rarus esset: census non nisi in productis consistebat naturalibus; postea vero domini & pecuniam numeratam ab iis exigebant. Cultus habitandi modus rusticorum quoque fortem duriorem reddebat; iniuncta ipsis calcis coctura, ad portatione materiae, & collapsorum aedificiorum refectione ac restaurazione e). Ob calcariorum tunc raritatem, calx saepissime e longinquo subvehenda erat; ita ut definiretur, ne ultra quinquaginta leucas rusticus angarias cum carro ficeret f).

§. 8.

e) Lex Baiuvariorum (GEORGISCH. l. c. p. 262-264.) T. I. c. 14.

d) Lex Baiuvariorum (GEORGISCH. l. c. pag. 264) T. I. c. 14. §. 6.
in fine.

e) Capitularia regum Francorum (GEORGISCH. l. c. pag. 593) Capitulare Francofordiense, §. 24.

f) Lex Baiuvariorum (GEORGISCH. l. c. p. 263) T. I. c. 14. §. 4.
„Angarias cum carro faciant usque quinqaginta leucas; amplius non minentur.” — Leuca 1500 passus continebat; verbum inde gallum cum fuerit.

§. 8.

e) de manumissis.

Liberis proxime accedebant manumissi; difficillimum tamen iis erat, ad statum liberorum se adtollere g). Nam dia servitutis memoria recens fuit; liber homo, ut cum iis in ius iret, non obstrictus erat h). In manumissione dominus etiam certas operas aut censem sibi reservavit, saepissimeque nonnisi Lidum eum fecit; Lodus, Leud, Latt, talem designavit, qui dominicae potestati subiectus erat. Alios ad officium obstringere, rem ita iucundam habebant, ut, etiam si servorum conditionem tolerabiliorem reddere, iugumque ipsis levare studebant, rarissime tamen plenam iis tribuerent libertatem, sed, ut supra dixi, Lidos eos facerent. Licet vero nunc operarum censuumque multitudo hanc adeo magna esset; quam agros acquirere, imo, quicquid soluto censu ipsis supererat, sibi retinere possent: tamen cum uxore ac liberis domini erant, plurimaque a contractu pendebant, quem dominus, prout humane sensit, cum suis iniebat. Ita paullatim servitus in Germania exolevit; immodicae operae, modicae factae sunt. Desunt tamen documenta, quibus uno eodemque tempore, repentinaque seditione haec ita accidisse, probari posset.

Agri

g) Capitularia regum Francorum (GEORGISCHEM. I. c. pag. 672) Capitulare quartum anni 803. Cap. 8 & 9.

h) Capitularia reg. Francor. (GEORGISCHEM. I. c. pag. 496.) Capitulum incerti anni. §. 15., „Libertus & liberta in nullis negotiis contra quemquam testimonium dicere permittantur. Qui vero ex eisdem fuerint progeniti, ad testimonium a tertia generatione admittantur,

Agri dominici, quos iam §. 7. memoravi, magnam rusticis molestiam propter operas adferebant; quaecunque igitur horum conditionem immutabant, quoad sortem rusticorum haud exigui erant momenti. Huc referto, coeptam a dominis & dynastis, amplorum praediorum possessoribus, agrorum suorum divisionem; quae effecit ut discussi spargerentur, plurimosque minimis partibus contentos esse oporteret; qui igitur, paupertate laepissime superveniente, coacti erant, vel agros vendere, vel alio modo rem mutare; optimus certe ad hunc obtinendum finem modus erat, si possessionem totius praedii retinerent, & nonnisi agros dominicos rusticis sub conditione census & operarum praestandarum tradarent.

§. 9.

§. De rusticis ab initio liberis.

Maxima quidem rusticorum in Germania pars, ab initio servituti obnoxia fuit; attamen exinde omnes omnino rusticos eiusdem fuisse originis, concludi nequit. Quod ad censem & operarum praestandarum obligationem attinet, multa sunt, quae moneri queant, quare nec haec semper ex servitute originem trahat. Conditio quippe ingenuorum nonnumquam miserrima, extra belli tempora vix his vitae necessaria suppeditabat, quo factum est, ut hi saepe operas sibi imponi passi fuerint. Primis nimicrum temporibus, plurimae operarum species inter operas serviles numerabantur; quae tamen praeiudicata sententia sensim exolescere coepit, ac adiutis insefuationibus,

in

in totum fere evanuit; quum operaे hac re obsecundarentur. Quemque libentius servis, quam liberis hominibus agros concessisse, facile est intellectu, & appetet ex charta Ottonis III. i) pro Episcopo Pilgrino qui ob deficientes servos veniam ab eo petivit, ut deserta territorii episcopatus loca, liberis tradere possit. Praecipue autem expeditiones cruce signatorum k) efficiebant, ut liberi sub decora conditione censum & operarum praestandarum, praedia culturae caussa acciperent. Terram, ubi secundum elericorum descriptionem, lac & mel fluenter, qua liberi possidere proprietarii, eamque liberam ab infidelium manibus redditam, veniam insuper peccatorum, ac coelum merere: has aliasque contemplationes imaginationem rustici, in aspermis Germaniae regionibus habitantis, subque servitutis iugo gentis, necessario stimulare oportuit, ita ut cruce se signaret, ac cum tota familia demigret l). Praediorum ergo domini, si vastari ea nolebant, coacti, liberis hominibus praedia tradiderunt, qui nonnisi sub iustis confidebant conditionibus. m). Ingens occurrit co-

lonorum

- i) Valent. Ferd. de GUDEN, Codex diplomaticus &c. T. I. p. 351.
- k) J. H. BOEHMER, Diff. de varia iurium innovatione per expeditiōnem cruce signatorum c. 2. §. 9. (In Exercitat. ad Pand. T. I. p. 225. sqq.
- l) III. J. F. RUNDE, Vergleichung des ehemaligen und heutigen Zustandes der teutschen Bauern &c. (Memoires de la Société des antiquités de Cassel — (Cassel 1780. T. I. pag. 262).
- m) Joh. Eelking, Diff. de Belgis sec. XI. in Germaniam advenis, variisque institutis atque iuribus ex eorum adventu ortis. Gott. 1770 — Schottelius, de singularibus in Germania iuribus c. 2. §. 13. p. 48.

lonorum numerus, praecipue illis temporibus, quibus bella intestina, & expeditiones cruciatae, patriam, ac in ea integras fere regiones devastaverant, ita ut novis incolis ac colonis, in eas deducendis opus esset. Difficile quidem videri possit, horum statum satis determinare, quum tanta sit legum diversitas; sed optime monuit GRUPEN n), colonos libertis & litis opponi. Liberam ipsorum conditionem plura probant; sic liberi ecclesiastici coloni dicuntur in Lege Alamanno-
rum o); servum comparare potest colonus p), ac illi sunt, qui in Lege Burgundionum conductores ingenui appellantur, quippe quia conductio & census praestatio, liberis quoque hominibus permissa erat q). Occurrunt quidem nonnumquam leges ubi & coloni aliis

minus

n) In Disceptationibus forensibus p. 1019. §. IV.

o) Lex Alamanorum (GEORGISCH I. c. p. 201) Tit. IX. „Quicunque liberum ecclesiae, quem colonum vocant, occiderit, sicuti alii Alamanni, ita componatur“ — Tit. XXIII. (I. c. pag. 205. & 206. „Liberi autem ecclesiae, quos colonos vocant, sicut & coloni regis ita reddant ad ecclesiam, & opera, quaeque impedita iis fuerint, secundum mandatum, aut quomodo lex habet, si non adimpleverit, sex solidis sit culpabilis.“

p) Marculfi Monachi formulae; pag. 119. formularum veterum formula VI. „Notitia de servo, quem colonos comparat.“

q) Lex Burgundionum (GEORGISCH I. c. p. 365.) Tit. 38. §. 9. „Si in villa conductor ingenuus est &c. — Liutprandi leges (GEORGISCH I. c. pag. 1099) Libr. VI. cap. LXXX: „Si quis liber homo in causam alterius introiret ad residendum, & ei censum reddendum &c.“

C

minus plene liberis hominibus aequiparantur; semper tamen non nisi ratione operarum & census praestationum, ad quas & illi obstricti erant. Litones vero, libertini, originarii, iammundlingi, lazzi, lassii, frilassi, aldi, alditiones &c. in classem liberorum referri nequeunt r); bene tamen Barscalci, genus quoddam hominum, rarius occurrens; quorum libertas patet ex charta veteri de 821. apud MEICHELBEC-
KUM in Historia Frising. Tom. I. part. instrum. p. 481. p. 255.
Ibi: „Illi sunt liberi homines, qui Barscalci dicuntur.”; nec non Bar-
gildi s), Landfessen & Birgelten t). Sufficiunt haec ad probandum, non omnes rusticos ab initio servilis fuisse conditionis, et si multa ad-
huc supersunt documenta, quae ad probandam hanc sententiam alle-
gare potuerim u). Qui quidem liberi rusticci a propriis hominibus
in eo differunt, quod ratione status personalis, plenissima fruuntur
libertate. Operarum ac census praestatio, nonnisi ex praediis possessio-
ne profiscitur x), nec diutius haec durat obligatio, quam fundi
possessio, eoque cesso extinguitur; contra domini voluntatem & de-
migrare, ac domicilium, locumque natalem relinquere possunt.

Sunt

r) POTTGIESER de statu servorum L. I. c. 4.

s) In codicillo regio Friderici I, apud Jo. Frid. SCHANNATIUM, in col-
lekt. sec. vindemiar. litterar. p. 116. „hoc excepto, quod comites
de liberis hominibus, qui vulgo Bargildi vocantur”&c.

t) De quorum libertate Cf. Glossa ad J. P. S. Lib. 2. pag. 19. (edit,
C. W. GAERTNERI).

u) SELCHOW in Electis jur. civilis. Exerc. 2. c. 1. §. 20. 23.
x) Cf. not. a) ad §. 3.

Sunt & in Germania rustici, ab obligationibus, ceteris iniunctis, immunes; qui rustici, liberti, Freye, Freysassen, Freymaenner, eorumque praedia, Freygüter, Freydingsgüter &c. appellantur y). Quod tamen rusticorum genus, quum rarius occurrat, ei, qui tales causatur libertatem, legitima libertatis non est prae sumitio, sed multo magis contrarii obstat coniectura, iniungendaque ei est affirmationis probatio z); nam haec rusticorum species veteribus ignota fuit, exceptionemque ergo facit a regula iuris communis.

S E C T . I L

D E

STATV RVSTICORVM HODIERNO.

§. 10.

z) *Causae statutus rusticorum mutati.*

Statum rusticorum nostrorum cum pristinorum conferendo, unicuique patebit, maximam mutationem subiisse huius hominum generis fortunam ac necessario inde haec orietur quaesito: „Quaenam fuere causae, quibus rustici in Germania fortunam suam adeo meliorrem

y) de BENCKENDORF, Oeconomia forensis T. V. S. VIII. c. 6. — de BURI, Erläuterung des in Deutschland üblichen Lehnrechts. 4te Forts. Nro. XX. p. 284.

z) Chr. Henr. de SENKENBERG, de probationis iniunctione (Gott. 1738).
c. 2. §. 27. 33.

rem reddiderunt?" Quae quidem conversiones effectae non sunt, per repentinam seditionem, uno eodemque tempore universam Germaniam excitantem, sed plures caussae, quae diversis temporibus acciderunt, in caussa fuere. Praecipue hoc referenda sunt:

- 1) Doctrinae christianaee propagatio, quae magnam rusticorum partem clericis subiecit, qui lenius eos tractabant, secundum paroemiam: "Unter dem Krummstab ist gut wohnen". Mite Episcoporum imperium, subditis magna comparabat commoda, ac laudatae paroemiae sunt causa a).
- 2) Expeditiones cruce signatorum b). Insuperabilis, ut iam supra §. 9. dixi, rustico in aspernissimis Germaniae regionibus habitanti, & sub servitutis iugo gementi, fuit stimulus, cruce se signare, ac cum tota familia in terram migrare, quam clerici amoenissimam iis depinxerunt. Praediorum ergo domini, si vastari enoluerunt, necessitate erant coacti, aut praedia iam derelicta, liberis hominibus, qui non nisi sub iustis conditionibus considerant, tradere; aut possessori adhuc praesenti, totam vel saltem personalem libertatem tribuere & magnam census operarumque

partem

- a) Cf. Kress Diff. de paroemia, „Unterm Krummstab ist gut wohnen.“ §. 8. — Eisenhardt Grundätze deutscher Rechte in Sprichwörtern, pag. 584.
- b) J. H. Boehmer Diff. de varia iurium innovatione, per expeditiōnem cruce signatorum, c. 2. §. 9. (In Exercitationib. ad Pand. Tom. I. p. 325 sqq.)

- partem remittere, ad imaginationem terrestris illius paradisi,
quem Petrus Eremita iis promisit, ex mente iis expellendam.
- 3) Accessit ingens urbium, quae tunc temporis optima erant fu-
gitivorum rusticorum refugia, incrementum.
- 4) Academiarum in Germania institutiones, aut multo magis, ius
romanum hac ex causa introductum. Jurisconsulti quidem
istis iam temporibus, magnam inter romanos & Germanicos
servos differentiam, falsumque esse intellexerunt, romana de
servis axiomata, ad homines germanorum proprios applicare.
Qui autem, nonnisi iuris romani notitiam habentes, quum om-
nia eodem modo tractare studebant: in axiomata, quae leges
romanae de colonis & glebae adscriptis continebant, inciderunt,
ac ex iis, controversias inter servos eorumque dominos diiu-
dicarunt. Qua re eos manifesto hominibus, ratione status per-
sonalis plene liberis aequiparabant.
- 5) Sine dubio & bellum, quod vocant rusticorum, insigni exem-
pli tyrannis ac regulis multis erat, ne ad extremum adducerent
rusticos: nam ex illo tempore leges omnes multa de leni rusti-
corum tractatione praecepta continere invenimus. Quamquam
usque ad finem seculi decimi quinti, gravissime a nobilibus op-
primerentur rusticci, patienter tamen omnia haec, utpote quibus
adsueti etant, toleraverunt. Quum vero eo tempore luxus mi-
rum in modum cresceret, & miles perpetuus introduci coepit,

effet; audi sunt principum sumptus, ita ut nova vestigalia rusticis imponere cogerentur; quorum conditio multo tristior esse reddita est. Tandem miseriae ac iugi impatientes, & ad extremum adducti, arma adversus dominos sumserunt. c).

2) *Rusticorum diversae classes.*

Secundum hodiernum rusticorum statum, optime in quinque classes dividere eos possumus.

1) ad primam quidem pertinent immediatorum pagorum inhabito-
res, qui praecipue in Franconia & Suevia inveniuntur; eadem dif-
ferentia, quae locum habet apud nobiles inter mediatos & imme-
diatos imperii, & ad hos sese extendit rusticos. In negotiis ta-
men privatis horum pagorum incolae, iura sequuntur privata; nata
particularia eorum iura, quae nomine Dorfordnung insigniuntur,
non magni in iure privato momenti sunt, quam aut politiam con-
cernant, aut publicum horum pagorum statum respiciant d).

2) Nu-

e) III. J. F. RUNDE, Vergleichung des ehemaligen und heutigen Zustandes der Deutschen Bauern &c. (Memoires de la Société de antiquités de Cassel, Tom. I.) p. 266.

d) III. J. F. RUNDE, Grundfaetze des allgemeinen deutschen Privatrechts, §. 73. — J. J. MOSER, von den teutschen Reichstaenden, der Ritterschaft, und den ubrigen unmittelbaren Reichsgliedern, p. 1507. sqq. — G. A. JENICHEN, Abhandlung von den Reichsdorfern. — G. M. LUDOLF, Jus camerale S. I. §. 2. n. 8. p. 24. sqq.

- 2) Numerus rusticorum, qui & ratione praediorum, & personae, liberi, ac nemini magis sunt subiecli, quam ceteri subdit, possessionem habentes. Huc pertinent possessores praediorum quae vocant Sadelhöfe e), Sattelfreye Güter, quae in Saxonia inferiori nonnunquam reperiuntur. Nec nocent restrictiones nonnullae, quae aliquando praediis eorum inherent, vi quarum v. c. dividere ea non possunt; quod tamen rem ipsam non mutat, nec reliquam eorum libertatem imminuit.
- 3) Rustici, censibus operisque obnoxii. In his & hodie servitutis pristinæ vestigia deprehenduntur; fruuntur tamen non solum libertate personali, sed etiam tamquam veri praediorum possessores sunt considerandi, nonnisi operis censibusque circumscripsi.
- 4) Huc certe plurimi nostrorum rusticorum sunt referendi; qui ratione status personalis quidem libertate utuntur, sed vel nullam in praediis habent proprietatem, vel minimam dominii partem. Plerumque solus iis competit ususfructus vel perpetuus, vel ad vitae tempus.
- 5) Servi; servitus in nonnullis Germaniae provinciis hueusque conservata est, nominatim in ducatu Megapolitano, Pomerania, Hol-satia, Westphalia &c. Ubicunque vero invenitur hodie, asperitatem duritatemque pristinam amisit.
- e) Quae praedia nomen acceperunt a verbo Saedel, Siedel i. e. habitatione; non vero, ut nonnulli contendunt a terra salica. Cf. H. C. DE SELCHOW elementa iuris privati Germanici, §. 279.

§. 12.

3) Operarum divisiones generalis.

Quam rustici, operis obnoxii, partim maiora, partim minora possident praedia: diversa operarum genera ad hanc rem designantur. Dividuntur in manuarias & iumentis praestandas, (Hand- und Spanndienste.) Secundam divisionem faciunt operaे ordinariae & extraordinariae (ordentliche und außerordentliche Dienste.) f) Illae sunt, quae quotidie, determinato tempore praestantur; haec tamen nonnisi in casu necessitatis postulantur; huc pertinent 1) sequela territorialis (Landfolge, Landfrohn, Landhude,) 2) Burgfesten sive Banfrohnen g); 3) Jagdfolge h). Dividuntur porro in determinatas & indeterminatas operas (gemessene und ungemessene Dienste); scilicet si ipsa operarum præstatio, lege, pacto vel observantia ad certum tempus, numerum, locum, modumque restringatur, determinatae (gemessene, in nostris terris ordinaire Herrendienste); si secus indeterminatae nominantur. Solent tamen & eas indeterminatas nominare, in quibus numerus operarum præstandarum fixus non est.

f) WESTPHAL, Deutsch. Privatrecht, T. 1. Abb. 33. p. 333. — DENKEN, Dorf- und Landrecht P. 2. c. 3. §. 25.

g) STRUBEN rechtliche Bedenken Tom. 4. Bed. 71. — STRUBEN de iure villicorum. c. 5. §. 6. pag. 191. spq. — Hoc nomine designantur omnes operaे ad conservationem munimentorum territorii necessariae. Differunt ab his Burgdienste, quae in utilitatem burgorum Principis privatam exiguntur.

h) Hae inde potissimum peti solent, quod subditorum interfit, ferarum numerum, praesertim luporum, imminui — BILDERBECK, von der Regalität der Jagden. c. 2. l. 4. §. 4. p. III.

§. 13.

a) *Utrum rustici in dubio ad determinatas vel indeterminatas operas obligentur?*

In hac quaestione, necessario separari debent operaes ordinariae ab extraordinariis, quae propter naturalem eorum conditionem saepissime ne determinari quidem possunt; & contendi ergo potest, has in dubio recte pro indeterminatis haberi. Quod autem ad ordinarias attinet, non credo indistincte contendи posse i) ut & hae in dubio pro indeterminatis sint habendae. k) Distinguenda mihi vindicant diversa rusticorum genera. Sicut enim non possunt dici omnes omnino rustici servilis originis, quem manifesto etiam liberi homines ad rusticam conditionem se accommodaverint; ita & illi quidem, qui manifeste servilem habent originem, utique praesumendi sunt, quibuscunque operis, salvo victu a se querendo, obnoxii, & probare ideo debent rite factam determinationem, quotiescunque contra dominum, indeterminatas operas exigentem, se certas tantum determinatas operas debere, contendunt; nam omnis contra illos pugnat prae sumptio, quem notum est, operarum ab iis prae standarum definitionem a domini arbitrio peperdisse, ac ei tantum prae stare debuisse;

i) Ut J. G. ESTOR in Comment. de prae sumptione contra rusticos in causis operarum Jen. 1742. — WESTPHAL Teutsches Privat-Recht pag. 337.

k) Cf. Leonh. HAUSCHILD, Tjuristische Abhandl. von Bauern und Frohndiensten (Lips. 1771.) Iste Abth. Nro. V. pag. 69—216.

„quantum per possibilatem iis impositum fuerit“¹⁾). Generatim & indistincte colligi inde, mea opinione, non potest, omnes hodiernos rusticos ad indeterminatas operas praefandas obligatos recte praesummi posse, quorum omnium origo servilis contendit nequit, quorumque obligatio plane alio, quam servilis conditionis, fundamento nititur. Sane nec aequum satis, ex sola quadam generali praesumptione, eaque ne satis quidem firma, condemnare rusticum, ad suscipiendum durum illud indeterminatarum operarum iugum. Liber homo, culturae causa praedium accipiens, illud certe nonnisi sub iussis & aequis conditionibus suscepit; ac si pacis expressis tunc operas non determinaverit, hoc ob solam fiduciam, quam in reciproca aequitate domini & rusticci posuit omnissum est. Sunt tamen & species harum operarum, quae accurate non possunt determinari; quas autem naturalis operarum mensura, sufficienter determinat. Quodsi ergo in dubio casu, probari non possit, possessorem praedii ab initio liberum fuisse: non credo, operas pro determinatis habendas esse, quum in dubio semper praesumptio pristinae servitutis contra rusticum sit, & inde, etiam si personali fruitur libertate, servitutis onera praedio adhuc inhaereant. Veram indeterminatarum operarum naturam, si consideres, facile erit intellectu, nihil iis inesse odiosi m); et si iis ex-

1) Lex Baiuvariorum. (GEORGISCH I. c. pag. 264) Tit. I. §. VI.

m) LUDOLF Observationes Forenses. Tom. I. Obs. 105. — Joh. Ulr. CRAMER, in opusculis T. 3. pag. 591. — de BURG Lehnrecht. 4te Fortsetz. p. 44 sqq.

ercendis, odiosas eas possis reddere; nam haec operarum praefatio non est servitus, ut multi contendunt, ideoque semper in servientis commodum interpretanda, sed ut iam pluribus supra dixi, obligatio ex contractu innominato.

§. 14.

b) Cuinam in dubio operaे sint praefandae?

Quod ad operarum praefationem attinet, saepissime & obvenire haec potest quaestio: „Cuinam in dubio operaе sint praefandae, domino praedii, vel domino iurisdictionis? quae tamen iis difficultatibus non est obnoxia, quibus antecedentis questionis definitio fuit. Sunt, qui eas domino iurisdictionis tribuant, quia affirmant, operas vi ac potestate iurisdictionis postulari, ideoque ad iurisdictionis fructus & commoda pertinere; sed verum obligationis ad operas praefandas fundamentum si perquiramus, recte inde concludere possumus, originarium contractum non ita sonasse: „Iudex esto; nos operas praefabimus”; sed: „Da nobis agros, praediaque, pro quibus operas praefabimus”ⁿ⁾ Nobiles plurimis locis & iurisdictionem in subditos acquisiverunt, qua re iurisdictionis & dominica potestas, ac ius postulandi operas & remedium eas exigendi, iuncta est; quod huic errori locum dedit. Sunt quidem exempla, ubi domino iurisdictionis, operaе, & praedii possessori census praefantur; quae tamen semper exceptionem faciunt a regula, naturalique ni-

D 2

tuntur

ⁿ⁾ Cf. III. J. F. RUNDE, Grundsätze des allgemeinen deutschen Privatrechts. §. 494.

tuntur fundamento; e. c. fuerunt familiae, quae in plures se dividebant lineas, de quibus una praedii possessionem & census, altera autem iurisdictionem & operas accepit &c.

§. 15.

4) *Censuum diversas species.*

Census respectu originis dividitur in censum reservativum (vorbehaltener Zins) & constitutivum (aufgelegter Zins). Illa species oritur eo quod possessio in tradendo praedio in signum prislinae possessionis vel rententi dominii, annum sibi reservet censem, quem accipiens praestare debet o). Altera contra, sine possessoris mutatione, a possesso ipso in commodum tertii, a praedio praestando, promittitur. Census porro vel in parata pecunia praeflatur, (Geldzins) vel est census naturalis (Naturalzins), qui in multis diversissimisque praedii productis consistit. In illustrioribus, quos rustici dominis praeflant, praecipue ponendae sunt decimae (Zehnten). Plerumque quidem de fructibus praeflantur p); interdum tamen de animalibus quoque solvuntur q) (Blutzehnten, Schmalzehnten, Fleisch-

Innen-

o) Herm. ZOLLIUS, de censu reservative. Rint. 1705.

p) & quideam de omnibus fructibus. PUFFENDORF Observations iur. univ. Tom. II. obs. 151. — Hinc paroemia: „Wo der Pflug hingehet, da geht auch der Zehend hin, — EISENHARDT, deutsches Recht in Sprichwörtern p. 594 sqq. — CRAMER Wetzlarische Neubefunden. Tom. 12. p. 25.

q) Quas decimas minutias. s. Ochtum, Uchtpenning, adpellant — Pe- rill. G. L. BOEHMER Diss. de origine & ratione decimarum in Germania (Gott. 1749.) §. 14.

Immenzehnten). Ipsa autem decimatum praestatio duobus modis peragitur; aut enim domino decimatum (Zehnther) octavus, decimus &c. r) manipulus frugum in agro relinqu debet, quod ordinari fieri solet, aut rusticus, loco decimatum certum frumenti vel pecuniae modum dominio praestat; quae decimae saccariae (Sackzehnten) nuacupantur; recteque impropriæ s) dicuntur,

§. 16.

s) *Dubium removetur.*

Dubium nobis haec movere possit quaesitio: „Quanam ex causa obligatur & adhuc hodie rusticus ad censum & operas praestandas, quum saepissime praedia ad familias pervenerunt, quae non ab initio possessores horum praediorum fuerunt, connexioque inde sublata est, ex qua haec orta est obligatio?“ Sed respondendum: Res transit cum suo onere & commodo; nam quanto viliori praetatio praedium dominans venderetur, si census operaetque, ad id pertinentes, desinerent; tanto maiori pretio praedium serviens, si obligationes ei annexae in successores transferri non deberent. Sane ergo

rusticus

- r) Quum tamen non praecise decimus vel octavus &c. manipulus in singulis agris, sed decima, octava &c. fructuum pars in agris existentium debeat; recte domino decimatum ius, numerum manipulorum ex uno agro in alterum continuandi (Fortzahlen des Zehnten) tribuendum est, quum alias nequitiae rusticorum occurri nequeat. — CRAMER, Wetzlarische Nebenstunden. T. 12. p. II. sqq.
s) PUFFENDORF Observat. Jur. Univ. Tom. I. Obs. III.

E

rusticus in universum non est causa, de statu conquerendi, si se cum maioribus comparent, ac considerent, quibus modis, possessiones acquisiverunt. Omnino si operas apud divites, abiectionem dignitatis hominis declarare vellemus: hac re causata conditio, locupletioribus valde incommoda, ac pauperibus intolerabilis & perniciosa fuerit. Primariae hominis necessitates, consistunt in victu ac habitatione. Is ergo, qui alicui habitationem dat, locumque adsignat, ubi victum quaerere possit; huic meliori modo satisfacit, ac si numeratam pecuniam ei traderet in compensationem operarum. Si nunc alter plura possidet praedia, agrosque, alterque plures vires, quam quibus indigent; quid impedit, quo minus hoc se iungenter modo. Abusus inde existentes, fundamentum rei haud concernunt. Quo sapientiores leges in republica latae sunt, quo vigilantior administratio iustitiae; tanto magis illae inhibere, haec vero vi eos repellere conabuntur.

T H E S S.

I.

Conradus bonae fidei vi & metu initus, ipso iure subsistit.

II.

Mutuum continet alienationem.

III.

Restitutio ex clausula generali praetoris, propter ignorantiam datur contra praescriptionem.

IV.

Minor veniam actatis adeptus, tutor esse prohibetur.

V.

Per rescriptum principis perfecte legitimati succedunt in allodio pari iure cum legitime natis.

VI.

Querela inofficioſi fratres totum evertunt testamentum.

VII.

Remedium L. 2. Cod. de rescindenda emtione venditione, propter laefionem in emtione venditione sub hasta, to- cum non habet.

VIII.

Emphytenta, incio domino, ius suum in alium transferre potest quocunque titulo, praeter venditionem.

ULB Halle

3

004 833 155



Slo



ad. Stab. psb.

1793, 2

A5

DE
VERO ET ORIGINARIO FVNDA-
MENTO OBLIGATIONIS RV-
STICORVM; AD OPERAS
ET CENSVM PRAESTANDVM
COMMENTATIO.

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE

AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
DIE XXIV. AVGUSTI MDCCCLXXXIII.

RITE OBTINENDOS,

ERVDITORVM DISQVISITIONI

OFFERT

HENRICVS ADOLPHVS LEHZen
HANNOVERANVS.

GOTTINGAE,

TYPIS H. M. GRAPE, TYPOGR. ACAD.